De judice competenti.

15. Iidem AA. Aureliano P. P.

SI [1] qua [2] inter Christianos & Judæos sit contentio, non a Senioribus Judæorum, sed ab Ordinariis [3] judicibus dirimatur. Dat. 13. Kal. Novemb. HONOR. XII. [4] & THEOD. VIII. AA. CONSS. 418.

De circumcisione.

16. Iidem AA. Asclepiodoto P. P.

JUdæi & bonorum [5] proscriptione, & perpetuo exilio damnabuntur, si nostræ fidei hominem circumcidisse [6] eos, vel circumcidendum mandasse constiterit. Dat. prid. [7] Kalend. Februar. THEODOS. XVII. & FESTO CONSS. 439.

De anniversario canone.

17. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Joanni Comiti sacrarum largitionum.

JUdæorum [8] primates, qui in utriusque Palæstinæ synedriis [9] dominantur, vel in aliis provinciis degunt, periculo suo anniversarium canonem de synagogis omnibus, Palatinis compellentibus, exigant, ad eam formam, quam Patriarchæ quondam coronarii [10] auri nomine postulabant: & hoc, quod de Occidentalibus Patriarchis conferri consueverat, nostris largitionibus inferatur. Dat. 3. Kalend. Jun. *Constantinop.* FLORENTIO & DIONYSIO CONSS. 429.

De Judæo Christianum ad suam religionem traducente.

18. Idem * Græca constitutio ex lib. 60. Basil. titul. 54. cap. 31. & Nomocan. titul. 9. cap. 25.

JUdæus, qui eum qui Judaicæ religionis non esset, contraria doctrina ad suam religionem traducere [11] præsumpserit, bonorum proscriptione damnetur, miseriumque in modum puniatur.

Eadem constitutio Græce & Latine ex Basil. lib. 1. ex lib. 60. tit. 54. cap. 31.

SI [12] Judæus pertrahere Christianum ad religionem suam ausus fuerit, proscribitur, & sanguinis pœnam sustinet.

De administrationibus & dignitatibus. 1. De synagogis.

19. Iidem AA. Florentio P. P.

HAc valitura in omne ævum lege sancimus, neminem [13] Judæorum, quibus omnes [14] administrationes & dignitates interdictæ sunt [15], nec Defensoris civitatis fungi saltem officio, nec patriæ [16] honorem arripere concedimus: nec adquisiti sibi officii auctoritate muniti, adversus Christianos, & ipsos plerunque sacræ religionis Antistites, veluti insultantes fidei nostræ, judicandi, vel pronunciandi quamlibet habeant potestatem. §. 1. Illud etiam pari consideratione rationis arguentes, præcipimus, ne [qua] Judaica synagoga in novam fabricam surgat [17]: fulciendi [18] veteres permissa licentia, quæ ruinam minantur [19]. §. 2. Quisquis igitur, vel insulas acceperit, quæfitis dignitatibus non potiatur: vel [si] ad officia vetita irrepserit, ab his penitus repellatur: vel [si] Synagogam extruxerit, compendio Catholicæ Ecclesiæ noverit se laboraſſe. Et qui ad honores [& dignitates] irrepserit, habeatur, ut antea conditionis extremæ, etsi honorariam [illicite] promeruerit dignitatem. Et qui Synagogæ fabricam cœperit, non studio reparandi, cum damno [20] quinquaginta librarum [auri] fraudetur ausibus suis. Cernat præterea bona sua proscripta, mox pœnæ sanguinis destinandus, [quasi] qui fidem alterius expugnavit perversa doctrina. Dat. Prid. Kal. Febr. THEODOS. A. XVII. & [FESTO [21]] CONSS. 439.

TIT. X.

NE [22] CHRISTIANUM MANCIPIUM HÆRETICUS, VEL JUDÆUS, VEL PAGANUS HABEAT, VEL POSSIDEAT, VEL CIRCUMCIDAT.

1. Impp. HONOR. & THEODOS. AA. Monaxio P. P.

JUdæus [23] servum Christianum nec comparare debebit, nec largitatis, vel alio quocunque titulo consequetur. Quod si aliquis Judæorum mancipium, vel Christianum habuerit, vel fœtæ alterius, seu nationis crediderit ex quacunque causa possidendum, & id circumciderit: non solum mancipii damno multetur, verum etiam capitali [24] sententia puniatur [25]: ipso servo pro præmio libertate donando. Dat. 4. Idib. April. *Constantinop.* HONOR. A. XI. & CONSTANTIO V. C. II. CONSS. 417.

2. *Constitutionis Græcæ epitome ex lib. 60. Basil. ex* ἐπιθεωρήσει *& ex collectione Græca constitutionum ecclesiasticarum, & aliis auctoribus.*

GRæcus [26] [seu Paganus] & Judæus, & Samaritanus [27], & alius hæreticus, id est, non existens orthodoxus non potest Christianum mancipium habere, neque catechumenum [28] circumcidere [29]: quia & ipsum mancipium Christianum ad libertatem pervenit, & qui possidet, dat privatis [largitionibus] triginta libras.

TIT. XI.

DE PAGANIS [30], ET SACRIFICIIS, ET TEMPLIS.

De templis Paganorum claudendis. 1. De sacrificiis prohibitis. 2. Sanctio.

1. Imp. CONSTANTIUS ad Taurum P. P.

PLacuit [31] omnibus locis, atque urbibus universis claudi [32] protinus templa, & accessu vetito omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. §. 1. Volumus etiam cunctos sacrificiis [33] abstinere. §. 2. Quod si aliquid forte hujusmodi perpetraverint, gladio [34] ultore sternantur, facultates etiam perempti fisco decernimus vindicari, & similiter puniri [35] Rectores provinciarum, si facinora vindicare neglexerint. Dat. Kal. Decembr. CONSTANTIO IV. [36] & CONSTANTE AA. CONSS. 342.

De sacrificiis prohibitis.

2. Imppp. THEOD. GRAT. & VALENT. [37] AAA. Cynegio P. P.

NE [38] quis mortalium ita faciendi sacrificii [39] sumat audaciam, ut inspectione jecoris, extorumque [40] præfagio vanæ spem promissionis accipiat, vel (quod est deterius) futura sub execrabili consultatione cognoscat. Acerbioris etenim imminebit suppliciі cruciatus ei, qui contra vetitum, præsentium vel futurarum rerum explorare tentaverit veritatem. Dat. 7. [41] Kal. Jun. ARCAD. & BAUTONE CONSS. 385.

De sacrificiis, de publicorum operum ornamentis.

3. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Macrobio P. P. Hispaniarum & Procliano Vicario quinque provinciarum.

SIcut [42] sacrificia templorum prohibemus, ita volumus publicorum operum ornamenta [43] servari. Ac ne sibi aliqua auctoritate blandiantur, qui ea conantur evertere, si quod rescriptum, si qua lex forte prætenditur: abreptæ hujusmodi chartæ ex eorum manibus ad nostram scientiam referantur. Dat. 4. Kal. Febr. *Raven.* THEOD. V. C. CONS. 399.

De ritibus & festis.

4. Iidem AA. Apollodoro Proconsuli Africæ.

UT [44] profanos ritus jam salubri lege submovimus, ita festos conventus civium & communem omnium lætitiam non patimur submoveri. Unde absque ullo sacrificio [45], atque ulla superstitione damnabili, exhiberi populorum voluptates, secundum veterem consuetudinem, ministrari etiam festa convivia, quando exigunt publica vota, decernimus. Dat. 13. Kal. Sept. *Patavii*, THEOD. V. C. CONS. 399.

De veteribus templis.

5. Impp. HONOR. & THEOD. AA. populo Carthaginiensi.

OMnia [46] loca, quæ sacris error veterum deputavit, nostræ [47] rei jubemus sociari. Quod autem ex eo jure ubicunque ad singulas quascunque personas vel præcedentium Principum largitas, vel nostra majestas voluit pervenire, id in eorum patrimoniis æterna [48] firmitate perduret. Ea vero quæ multiplicibus constitutis ad venerabilem Ecclesiam voluimus pertinere, Christiana fibi merito religio vindicabit. Dat. 3. Kal. Septembr. *Ravennæ*, HONORIO X. & THEODOSIO VI. AA. CONSS. 415.

1 *Pars quædam legis* 22. *C. Theod. de Judæis.* 2 *l.* 22. *l.* 78. *C. Th. h. t.* 3 Judæus actor vel reus forum Christiani fortitur. *Sal.* 4 In Cod. Th. *Honorii X. & Theodosii VI. Aug. Conss.* id est, A. 415. Recte. 5 Pars ultima *legis* 26. *C. Theod. de Judæis.* 6 *l.* 28. *C. Th. h. t.* 1. *Eclog.* 1. *cap.* περὶ Ἰουδαίων 41. 42. *ex lib.* 20. *l.* 39. 40. 7 In Cod. Th. V. Id. Apr. *Constant. Asclepiodoto & Mariniano Conss.* id est, A. D. 423. Recte. 8 *l. ult. C. Th. h. t.* 9 Vid. *l. ult. ff. de decretis ab ordine faciend.* 10 Vid. *l.* 1. *J. de auro coronario.* 11 *Eclog. d. loco cap.* 31. 12 Interpretatio Leunclavii. vid. *d. c.* 31. 13 Pars Novellæ Theodosii *de Judæis, Samaritanis, hæreticis & Paganis.* 14 Judæi arcentur ab honoribus. 15 De publicis non dubium: sed an etiani privatis administrationes? vide Jac. *ad Rubr. ff. de Iustit. & Iur. col.* 2. Afflict. *super constit. reg. in pri. oper.* Felinum & alios *ad c. fin. ext. de Iudæis.* Jac. *ad rubr. de nov. oper. nunciat. col.* 2. Cravettam *cons.* 73. *n.* 26. Mod. 16 Nec patris honorem, Cujac. *obs.* 30. vetantur enim Judæi esse ἐκδίκοις πόλεως ἢ πατρίσι. Patres civitatis sunt curatores civitatis. *l.* 3. *vers. si quis vero. J. de hæt, qui ignor. publ. munera.* ubi vid. *Cujac.* Græcis etiam ἀσύνατοι tefte Ulpiano *in Demosthenem.* 17 Judæi novas fibi ædificare Synagogas prohibentur. vid. Cujac. 16. *obs.* 3. 18 Vid. Calfidorum *in rescripta quam Theodericі ad Iudæos 2. lib. variar.* 19 Quid fi penitus collapsæ, an restaurari poterunt? Gregorius permisit. *consultat. 7. extr. de Iudæis.* & æquo jure: restauratæ namque non novæ, fed eædem ædes intelliguntur. Lucenſis jure. *l.* 20. §. 2. *ff. de relig. & sumpt. fun.* 20 *Magistratus arcent quantum possint homines a falsis religionibus: sed religio imperari non potest: nihil ea magis est voluntarium.* Lactant. 21 *Et qui fuerit nominatus* in Nov. ipfi Theodof. 22 16. *C. Theod.* 7. Ne Christianum mancipium Judæus habeat. Viglius vero *in lib.* 1. *ff. si cert. pet. num.* 14. ita legit: Ne Christianum mancipium, hæreticum, vel Judæum Paganus habeat &c. 23 *l.* 4. *C. Theod. h. t. lib.* 16. Judæus Christianum mancipium ne habeto, nemo sua religione docendo imbutum circumcidito. Nec item quivis alius hæreticus mancipium Christianum habeto. *Synopf. Basil.* 1. tit. 1. περὶ Ἰουδαίων *c.* 59. 24 Pœnam circumcidentis Christianum observa. Adde 6. Harmen. 1. *Ecl.* περὶ Ἰουδαίων *c.* 41. 42. 25 Hinc notant plurimi pœnæ capitalis appellatione venire exilium, Doct. *ad l. imperium ff. de Iurisd. omn. Iud.* Boer. *decis.* 254. *num.* 10. *& seq.* Jalon *ad l. si quis iniquum.* 9. *hoc pœna. num.* 3. *ff. quod quisque iur.* Paul. de Castr. *ad l. præsente num.* 2. *Cod. de his, qui ad eccles. confug.* & plene *ad l.* 2. *ff. de publ. jud.* quare cum judex condemnat ad mortem: addit, ut caput a collo feparetur, aut jubet laqueo, igne, aqua fungat. *ad l. ult. C. de his, qui ad ecclesiam confugiunt.* & Felinum *ad c. qualiter.* 9. *ad corrigen.* per totum, præfertim *num.* 52. *de accusat.* Curaf. *lib.* 3. *miscellaneor.* c. 17. Maran. *de ordin. judic.* 4. *part.* 1. *distinct.* *n.* 47. & 2. *distinct.* *n.* 12. *& seq.* Mod. Ancon. *in tract. de merc.* 4. *n.* 18. *& seq.* Contra autem hæc, vide diserta verba textus *in l. cum autem.* 9. *excipitur, ff. de addit. edict.* ubi dicitur: *capitalis fraus est, propter quam quis capite punitur,* de quo Afflict. *decis.* 404. *n.* 14. Mod. 26 Interpr. Contii. 27 *Nov.* 129. 144. 28 *Catechumeni* funt adjutores baptismo delignati. 29 Vid. Greg. *epist.* 3. *c.* 21. *Nov.* 144. *c.* 2. *in fin.*

30 *L.* 16. *C. Th.* 10. περὶ Ἑλλήνων 1. *Syn. Basil.* 1. *c.* 3. περὶ ἑλλήνων *c.* 6. *Harmen.* 11 id est, de Græcis, ita dictos opinor, quod initio nascentis Ecclesiæ inter cæteras gentes, Græci obtiterint Evangelio: Pagani vero quasi in pagis viventes, alieni a civitate Dei, *Optat.* Puto paganos ob contemptum vocatos fuisse, quasi diversos a Christianis Christo militantibus, & Christianis ignobiliores. Nam & in jure, pagani militibus opponuntur: Gentiles vero Ethnicos, & nationes dictos opinor, comparatione habita ad Christianos, qui numero erant pauciffimi: vel ita Christiani cum initio pauci essent, Idololatras Gentiles, & Nationes appellarunt: cum eos autem in ordinem redegissent, paganos nuncuparunt quasi in pagis non in urbibus, ut olim viventes. 31 *l.* 4. *C. Theod. h. t.* adde Alciat. 1. *parerg.* 13. ubi eleganter recitat locum ex Cassiodoro. 32 Constantinus templa Paganorum claudi jubet. S. Niceph. 18. *& 24. 26. C. Th.* 10. *c.* 4. 33 6. Harm. 11. *d. cap.* 4. Adde *l.* 2. *l.* 7. *J. h. t.* vid. quæ notavi de vetitis sacrificiis ad *l.* 13. *ff. ad l. Corn. de sicar.* adde *l. un. J. de thesaur.* Paul. 5. *sent.* 3. §. 9. 34 Pœna Gentilismi & lacrificantium: & ita deterior conditio Paganorum quam Judæorum, quorum festa prohibita non est. 35 Rector provinciæ negligentiæ punitur. 36 in C. Theod. *Constantio III. & Constante II. coss. Conft.* sed neutrum rectum: reponendum enim *Constantio VI.* id est, A.D. 353. *J.G.* 37 Tribuenda hæc lex *Valentiniano, Theodosio, & Arcadio. J. G.* 38 *d.* §. 9. *C. Theod. h.t.* adde Nicph. 18. *c.* 4. 39 *l.* 1. §. 1. *h. t.* 40 Exstipicina prohibita. 41 8. *C. Theod. h. t.* 42 *l.* 15. *C. Th. h. t.* 43 Qualia sunt in urbibus, nam templa, quæ in agris, aut abditis locis conflitura, nulla ornamenta habebant. Patres in Concilio Africano deitrui postulant. Eo munere, fi quis unquam fiebat B. Martinus apud Gallos: fito tempore fanctus eft. vid. Sulpit. *in ejus vita.* 44 *l.* 17. *C. Theod. h. t.* 45 Sacrificia superstitiosa Gentilium vetita, at non voluptates, festique conventus & festa convivia in iis observari solita, *ut hic*, ut nec templa eorum ideo everfa, *l.* 3. §. *h. t.* 46 Pars legis 20. *C. Th. h. t.* 47 Occupabantur plerumque a monachis. *l.* 26. §. *de episc. & clericis.* Igitur ex hoc loco possis colligere templa Paganorum Principis fisci fuisse, non ecclesiæ. 48 Dominium Principis alienari non posse, hinc colligunt: apud Gallos id ita observatur: & merito: nam quæ provinciæ a populo regi adferuntur vel tradantur, dotis publicæ locum obtinent: adeoque, ut mulieris dos alienari non potest, ita nec Regis dominium. Atqui fecundo genitis Regis liberis certe provincia adfignantur? Sic fane: fed earum dominium a Corona non abicinditur. Quemadmodum etiam possessiones quædam patrimoniales in privatos transferuntur, autoritate certe Parlamenta accedente, salvo tamen semper regis dominio. vid. Papon. 5. *Arrest.* 10. Dominia regnorum inalienabilia ita cenfentur. Jus tamen bulli nonnunquam ab ista regula discedit.

De Judæis vel Paganis non ludendis.

6. Iidem AA. Asclepiodoto P. P.

CHristianis [1], qui vere sunt, vel esse dicuntur, specialiter demandamus; ut Judæis, ac Paganis quiete [2] degentibus nihilque tentantibus turbulentum, legibusque contrarium, non audeant manus inferre religionis auctoritate abusi. Nam si contra fecuros fuerint violenti, vel eorum bona diripuerint: non ea sola, quæ abstulerint, sed convicti in duplum quæ rapuerint, restituere compellentur. Rectores etiam provinciarum, & Officia, & Principales [3] cognoscant se, si non ipsi talia vindicent, sed fieri a popularibus hæc permiserint, ut eos, qui fecerint, puniendos. Dat. 6. Id. Jun. *Constantin.* ASCLEPIODOTO & MARINIANO CONSS. 423.

De delubris, simulachris, sacrificiis & ritibus.

7. Impp. VALENT. & MART. AA. Palladio P. P.

NEmo [4] venerandi adorandique animo delubra [5], quæ olim jam clausa sunt, reseret. Absit a seculo nostro infandis execrandisque simulachris honorem pristinum reddi, redimiri [6] sertis templorum impios postes, profanos aris accendi ignes, adoleri in hisdem thura, victimas cædi, pateris vina libari, & religionis loco existimari sacrilegium. Quisquis autem contra hanc Serenitatis nostræ sanctionem, & contra interdicta sanctissimarum veterum constitutionum sacrificia exercere tentaverit: apud publicum Judicem reus tanti facinoris legitime accusetur, & convictus proscriptionem omnium bonorum suorum, & ultimum [7] supplicium subeat. Consci etiam criminis, ac ministri sacrificiorum eandem pœnam, quæ in illum fuerit irrogata, sustineant: ut hac legis nostræ severitate perterriti, meti pœnæ definant sacrificia interdicta celebrare. Quod si vir clarissimus Rector provinciæ post accusationem legitimam & post crimen in cognitione convictum, tantum scelus dissimulaverit vindicare: quinquaginta libras auri ipse Judex, quinquaginta etiam Officium ejus confestim fisco nostro inferre cogatur. Dat. Prid. Id. Novemb. MARTIA. A. & ADELPHIO CONSS. 451.

De his, quæ Paganis interdicta sunt, non pertentandis.

8. Impp. LEO & ANTHEMIUS AA. Dioscoro P. P.

NEmo ea quæ sæpius Paganæ superstitionis hominibus interdicta sunt, audeat pertentare: sciens, quod crimen publicum committit, qui hæc ausus fuerit perpetrare. In tantum autem hujusmodi facinora volumus esse refecanda, ut etiamsi in alieno prædio vel domo aliquid tale perpetretur, scientibus videlicet dominis, prædium quidem, vel domus sanctissimis juribus ærarii addicentur [8]: domini vero pro hoc solo, quod scientes consenserint sua loca talibus contaminari sceleribus, si quidem dignitate, vel militia quadam decorantur, amissione militiæ, vel dignitatis, necnon rerum suarum proscriptione plectentur: privatæ vero conditionis vel plebeiæ constituti, post cruciatus corporis, operibus metallorum, aut perpetuo deputabuntur exilio.

De eo, quod paganis donatur, vel relinquitur. 1. De paganorum impietatibus puniendis.

9. *Græca constitutionis epitome ex præfata collectione & Nomocan. tit. 6. cap. 3. & titul. 12. cap. 9.*

SI [9] quid datum fuerit aut relictum locis, aut personis, aut ad constructionem Paganici erroris: urbs illud accipiet [10], in [11] qua personæ habitant, aut fub qua loca subjacent: & expenduntur ad similitudinem impietatium redituum. §. 1. Paganorum autem impietates puniunt Præsides: & quæ supra fuam potestatem erunt, referent Imperatori.

1. *De Baptismo.* 4. *De sacrificiis.* 5. *Ne pagani doceant. De publica annona.*

10. *Græca constitutionis epitome ex eadem collectione, & Nomocan. 12 titul. 4. cap. 4. & titul. 1. cap.* 10.

QUi [13] post sanctum baptismum in errore paganorum manent, ultimo [14] supplicio plectuntur. §. 1. Qui vero nondum sunt baptizati, ipsi cum liberis & conjugibus, & omnibus suis perducant se ad sanctas ecclesias, & suos parvulos [15] liberos sine mora baptizari [16] curent: majores vero prius scripturas fecundum canones doceantur. §. 2. Si vero propter militiam, vel dignitatem, vel facultates habendas, fingant [17] baptizari; & liberos, aut conjuges ipforum, aut domesticos suos in errore reliquerint, & eos qui sibi attinent, & necessitudine juncti funt: publicantur [18] & competenter plectuntur, & rempubl. non attingunt. §. 3. Si vero non sint baptizati, nec participes erunt in illa parte reipublicæ, neque domini erunt rerum mobilium, vel immobilium, sed fisci ipsas vindicabit, & congrue punientur, & exulabunt. §. 4. Si autem apparuerint sacrificantes, aut idololatrantes, ut [19] Manichæi puniuntur. §. 5. Non docent autem pagani qualemcunque doctrinam, neque publica fruuntur annona, nec fecundum sacram quidem formam.

TIT. XII.

DE [20] HIS, QUI AD ECCLESIAM [21] CONFUGIUNT [22], VEL IBI EXCLAMANT [23], [ET NE [24] QUIS AB ECCLESIA EXTRAHATUR].

De Judæis.

1. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Archelao P. Augustali.

JUdæi [25] qui reatu aliquo, vel debitis fatigati simulant se Christianæ legi velle conjungi, ut ad Ecclesias confugientes evitare possint crimina [26], vel pondera debitorum, arceantur: nec ante suscipiantur, quam debita universa reddiderint, vel fuerint innocentia demonstrata purgati. Dat. 5. Kalend. Jul. *Constantinop.* CÆSARIO & ATTICO CONSS. 397.

Ne confugientes ad sacras ecclesias inde abducantur.

2. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Jovino P. P.

FIdeli devotaque præceptione sancimus, nemini licere ad sacrosanctas Ecclesias confugientes abducere [27]: sub hac videlicet definitione, ut si quisquam contra hanc legem venire tentaverit, sciat se majestatis [28] crimine esse retinendum. Dat. 10. Kal. Apr. CONSTANTIN. & CONST. CONSS. 414.

De spatio ad tuitionem confugientium concesso, & de armis.

Extat quidem hæc constitutio Græca integrior in 3. *Synodi actis, sed qualem Theodosius, & post eum Just. in suum Cod. retulit, demptis videlicet proœmiis & epilogis, talem ex Cod. Theod. edidimus.*

3. Impp. THEODOSIUS & VALENTINIANUS AA. Antiocho P. P.

PAteant [29] summi Dei templa timentibus: nec [30] sola altaria [31] & oratorium [32] templi circumjectum, qui [33] ecclesias quadripartito parietum septu concludit, ad tuitionem confugientium fancimus esse proposita: sed usque ad extremas fores Ecclesiæ, quas oratum geltiens populus primas ingreditur, confugientibus aram [34] saluris esse præcipimus: ut inter templum, quod parietum descripsimus cinctu, & post loca publica; [& [35]] januas primas ecclesiæ, quicquid fuerit interjacens, sive [36] in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur. Nec in extrahendos eos conetur quisquam sacrilegas manus immittere: ne qui hoc ausus sit, cum discrimen suum videat, ad expetendam opem ipsi quoque confugiant. Hanc autem spatii [37] latitudinem ideo indulgemus, ne in ipso Dei templo, & sacrosanctis altaribus [38] confugientium quemquam mane vel vespere cubare, vel pernoctare liceat: ipsis hoc Clericis religionis causa vetantibus: ipsos qui confugiunt, pietatis ratione servantibus. §. 1. Arma quoque in quovis telo, ferro, vel specie, eos qui confugiunt, minime intra ecclesias [39] habere præcipimus: quæ non modo a summi Dei templis [40] ac divinis altaribus prohibentur, fed etiam cellulis, domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus. §. 2. Proinde si qui sine armis ad sanctissimum Dei templum, aut ad sacrosanctum altare, five usquam gentium, sive in hac alma urbe confugiunt, somnum intra templum, sive ipsum altare, vel omnino cibum capere absque aliqua eorum injuria, ab ipsis clericis arceantur, delignantibus spatia, quæ in Ecclesiasticis septis eorum tuitioni sufficiant, ac docentibus capitalem [41] pœnam esse propositam, si qui eos conentur invadere. Quibus si perfuga non adnuit, neque consentit, præserenda humanitati religio est, & a divinis ad loca quæ diximus turbanda temeritas. §. 3. Hos vero, qui templa cum armis ingredi audent, ne hoc faciant, præmonemus: dein si telis cincti, quovis Ecclesiæ loco, vel ad templi septa, vel circa, vel extra sint: statim eos ut arma deponant, auctoritate Epiícopi a folis Clericis feverius convenirі præcipimus, data eis fiducia [42], *quod religionis* [43] *nomine meritus, quam armorum præsidio mentiantur.* Sed fi Ecclesiæ voce moniti, post tot tantorumque denunciationes noluerint arma relinquere, jam clementiæ nostræ apud Deum & Epiícopum causa purgata, armatis fi ita res exegerit intromissis, trahendos se abitrahendosque esse cognoscant, & omnibus casibus esse subdendos. Sed neque Epis-

1 *Pars ultima legis* 24. *C. Theod. h. t.* 2 Gentilismus simplex capitis supplicio non punitur, fed certis tantum casibus, vide *l.* 1. 9. 2. §. *h. t. l.* 7. *vers. Quisquis. J. & l.* 10. *J. h. t.* 3 *Subint.* Curiarum, de quibus dixi *l.* 5. §. *de episc. audient.* 4 *Syn. Basil.* 1. *tit.* 5. περὶ Ἰουδαίων *c.* 12. 5 Paganorum superstitio hic funditus tollitur: Jubentur enim delubra claudi. Prohibentur etiam honores simulachris reddi, postes templorum sertis redimiri, ignes aris accendi, thura in aris adoleri, victimæ cædi, vina pateris libari. Prohibet etiam hæc constitutio religionem vocari eorum sacrilegium, & pœnam mortis in eum, qui fecus fecerit, indicit. 6 Nota cæremonias, & cultus simulachrorum. 7 *l.* 1. §. 2. §. *h. t.* 8 Fiscus bonorum Principium non cantum spoliis hostium, fed & gentilium facerdotum damnis augetur. 9 Interpretatio Contii. 10 Hinc illa Symmachi querela: Oro vos, justitiæ facerdotes, ut urbis vestræ sacris reddatur privata succellio, dittent testamenta fecuri, & sciant sub Principibus non avaris stabile esse quod scripserint &c. 11 Vide *l.* 16. *in fin. ff. de usu & usufr. leg.* 12 Exstat apud autorem Synopseos 1. *tit.* 1. *cap.* περὶ Ἑλλήνων. 13 Interpretatio Contii. 14 Apoltate ultimo fupplicio puniuntur. vid. *l.* 5. §. *de apostatis.* 15 Pedobatistimus hic probatur. 16 Baptismus gentilibus imperatur. 17 Adde *l.* 18. *in pr. vers. Si vero. ff. de hæreticis.* 18 Pœna reculantis baptismum, adde *parag.* 3. 19 Id est, summo supplicio, *l.* 11. 12. §. *de hæreticis.*

20 V. *Synopf. Basil.* 5. *c. Th.* 34. *c. eod. c. Th.* 9. 2. *Harm.* 9. hic titulus non est in usu apud Gallos. Solent etiam delinquentes, & debitores in Ecclesiis capi falvo jure redintegrandi, fi recte confugerint. vid. Lucium 1. *Placit.* 2. Papon. *Arrest.* 1. *num.* 17. 18. 19. *ad de Asilo.* 24. Rebuff. *in præam. constit. gl.* 5. *n.* 40. Idem *in tract. de immunitatis ecclesiasticæ*, 1. 2. differit de immunitatis etymo, causis, locis, personis, pœnis, judice, & effectu. 21 Ecclesias. *C. Theod. eod. Hal.* 22 Confuge hi dicuntur, *l.* 22. §. 1. §. *de episcop. & clerie.* refugæ, *l.* 6. §. 1. *J. h. t.* 23 Vid. *l.* 5. *in pr. J. h. t.* 24 Alyli jus tributum Ecclesiis hoc titulo: de templorum violatione vid. Dambouderium *in praxi Criminali, cap.* 106. 25 *l.* 2. *C. Theod. h. t.* 26 Judæi crimium rei, vel debitores, jure alyli non fruuntur. 27 An debitor in loco sacro arrellari possit, vid. Peckium *cap.* 6. *de jure sisendi, num.* 1. 2. Goth. Hic Confugientem ad facerdotem deferentem corpus Christi mimime posse capi, qua de re vide Hotlient. *in cap. fane. ext. de celebr. miss.* Alexand. *ad rubric. ff. de nov. oper. nunciat.* 4. Joan. Fabrum *in* 3. *Iustin. Instit. de bis, qui sui vel alien. jur.* Alciatum *lib.* 2. *parerg. cap.* 23. & Guidon. Pape *q.* 191. Mod. 28 Confugam qui ex ecclesia abducit, tenetur majestatis; alibi verberatus, & detonsus deportatur. *l.* 2. *J. de crimine sacrilegii: Synopsis Basil.* 5. *tit.* 5. *c. ex lib.* 60. *tit.* 45. *c.* 17. 29 *l.* 4. *C. Theod. h. t. Synopsis Basil.* 5. *tit.* 5. *c.* 11. 2. *Harm.* 9. 30 Templi Constantinopolitani descriptionem observa. 31 Θυσιαστήρια. 32 Και τὸν ὑπαιθριον ναὸν. Lex Græca, 5. *C. Theod. h. t.* alias τὸν ὑπαιθριον τοῦ. vid. Cuj. 2. *obs.* 29. 33 Hoc innuit quatuor parietibus septum fuisse oratorium templi. 34 *Novell.* 17. *c.* 7. ἔξω Βωμοῦ, id est, miserícordiæ: quale fuit Athenis. Theophil. *Instit. de jure natur.* 9. 1. *in fin.* Paufanias *in Atticis.* Alibi etiam fit mentio æræ falutis. Theod. & Valentin. imperatores, Βωμὸν σωτηρίας καὶ ἐν τοῖς ἡμιτρίοις ἀριθμήσωμεν, ἢ ἀξιωτέον ἀνόητα. huc refer illud Euripidis *in Andromach.* Ὅζει γάρ καταθνήσκων ὅσις περὶ βωμοῖς ἔθνει. Chremes apud Terentium *Heautontim. act.* 5. *scena* 2. Nec in aram tibi, neque precatorem pararis. De aris plura vide apud Ferrandum 2. *explic.* 14. 35 Hæc particula superest. 36 Ἐὰν δὲ οἰκίαις ἢ κτήσεσι, ἢ αὐλαῖς, ἢ λάτρεσι, ἢ ὁδοῖς, ut hinc conflet templi Constantinopolitani eam fuisse faciem: Priorem altaribus, & oratoriis destinatam eamque quadruplici muro distinctam a posteriore. de qua mox: Posteriorem vero occupatam cellulis, five domibus eorum, qui Ecclesiæ ministrabant, fed & eorum hortulis, balneis, areis & porticibus. Hanc posteriorem ruribus partem fores & januas habuisse, qua hic extremæ fores Ecclesiæ, & januæ primæ Ecclesiæ versus locu publicu dicuntur. Fuerit igitur (ut veterem illam rationem templi cum noftris conferamus) pars illa prior ea, quam nostri appellant, *l'Eglise, & le temple.* Posterior, quam nos vocamus *le Cloître.* In ut. myo partem rei confugerant, ad Ecclesiam confugisse dicebantur: & confugii feu alyli jure fruebantur. 37 Supradicti: alterius fit mentio, puta triginta paffuum a foribus Ecclesiæ *in can. definitiv.* 35. *caus.* 17. *quæst.* 4. & *ibid. can. id constituimus.* 38. domibus Epiícopalibus idem conceditur. 38 Θυσιαστήριοις κἀιτοῖς ἀ ἐδίοις, ἢ κατοικίαις, ἢ παντρχίζουν, id est, in altaribus manere, vesci, cubare, vel pernoctare. Græci ita legunt in eccles. ἐδίοις ἢ οἰκίοις. 39 Arma a templis prohibentur. 40 Sed apud epiícopos deponant. *Eclog. d. lect.* 41 Pœna confugas invadentium. 42 Ἐλπίδα καὶ ὄρκῳ. 43 Confuge religioni magis, quam armis innixi.

scopo inconsulto [3], nec sine nostra sive judicum in hac alma urbe, vel ubicunque jussione, armatum quempiam ab ecclesiis abstrahi oportebit, ne si multus passim hoc liceat, confusio generetur. Dat. 10. Kal. April. *Const.* ANTIOCHO V. C. CONS. & [2] qui fuerit nuntiatus. 431.

De servis.

4. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Imperio [3] P. P.

SI [4] servus [5] cujusquam in Ecclesiam altariave armatus, nullis hoc suspicantibus, inopinatus irruerit, exinde protinus distrahatur, vel continuo domino, vel ei, unde eum tam furiosa formido proripuit, indicetur, eique mox abstrahendi copia non negetur. Sed si armorum fiducia resistendi animos infania impellente, conceperit, abripiendi [6] extrahendique eum domino, quibus id potest efficere viribus concedatur. Quod si illum etiam configi [7] in [8] concertatione pugnaque contigerit, nulla erit ejus noxa, nec conflanda criminationis relinquetur occasio, si is, qui ex statu servili in hostilis, & homicidæ conditionem transiliit, sit occisus. Dat. 5. Kal. April. VALERIO, & [ARTIO?] CONSS. 432.

De seditione, conclamationibus, tumultu, impetu, conventiculis.

5. Imp. MARCIANUS A. ad populum.

DEnunciamus vobis omnibus: ut in sacrosanctis Ecclesiis, & in aliis quidem venerabilibus locis, in quibus cum [10] pace & quiete vota competit celebrari, abstineatis ab omni seditione: nemo conclamationibus [11] utatur: nemo moveat tumultum, aut impetum committat, vel conventicula [12] collecta multitudine in qualibet parte civitatis, vel vici, vel cujuscumque loci colligere ac celebrare conetur. Nam si quis aliquid contra leges a quibusdam [sibi] existimet perpetrari, liceat ei adire Judicem, & legitimum postulare præsidium. Sciant sane omnes: quod si quis contra hujus Edicti normam aut agere aliquid, aut seditionem movere tentaverit, ultimo supplicio subjacebit. Dat. 3. Id. Jul. ipso MARTIANO A. & ADELPHIO CONSS. 451.

Ne quis de Ecclesia pellatur, vel trahatur: de rebus vitualibus & vestibus & quiete. 1. De monitione judicis, 2. Et de eo, qui latet intra fines ecclesiæ, repræsentando. 3. Si monitus respondeat, 4. vel non. 5. 6. De officio œconomi, vel defensoris ecclesiæ.

6. Imp. LEO A. Erythrio P. P.

PRæsenti [13] lege decernimus per omnia loca valitura (excepta hac Urbe Regia, in qua nos divinitate propitia degentes, quoties usus exegerit, invocati, singulis causis atque personis præsentanea constituta præstamus) nullos penitus, cujuscunque [14] conditionis sint, de sacrosanctis Ecclesiis, orthodoxæ fidei expelli, aut trahi, vel protrahi confugas [15], nec [16] pro his venerabiles Episcopos, vel religiosos Oeconomos exigi, quæ ab ipsis debeantur: his, qui hoc moliri, aut facere, aut nuda [17] saltem cogitatione atque tractatu ausi fuerint tentare, capitali [18], & ultimi supplicii animadversione plectendis. Ex his ergo locis eorumque finibus, quos anteriorum legum præscripta sanxerunt, nullos expelli aut ejici aliquando patimur: nec in ipsis Ecclesiis reverendis ita quemquam detineri atque constringi, ut ei aliquid victualium [19] rerum, aut vestis negetur, aut [20] requies. §. 1. Sed si quidem ipsi refugæ apparent in Ecclesia publice, & se in sacris locis offerant, quærentibus conveniendos, ipsis servata locis reverentia, Judicum, quibus subjacent, sententiis moneantur, responsum daturi, quale sibi quisque perspexerit convenire. §. 2. Quod si in finibus Ecclesiasticis latitant, religiosus Oeconomus, seu defensor Ecclesiæ, vel certe quem his negotiis commodiorem [21] auctoritas Episcopalis elegerit, reconditam latentemque personam decenter sine ullo incommodo monitus intra fines Ecclesiæ, si invenitur, præsentet. §. 3. Cum autem monitus [22] fuerit in publico privatoque contractu actionis civilis [23]: in ejus sit arbitrio [24], sive per se, sive (si magis elegerit) instructo folenniter [25] procuratore directo, in ejus Judicis, cujus pulsa-

1 Qua cautione confugæ extrahi possunt. 2 Et *Basso. & in C. Theod.* 3 *Hieria. P. P. C. Theod.* 4 Pars legis 16. C. *Th. eod. Synopf. Basil.* 9. *tit.* 5. *c.* 11. *ex l.* 6. *tit.* 3. *c.* 17. § 4. *l.* 6. § 5. *l.* 8. *t.* V. Alciat. 2. *parerg.* 45. & Othon. Frifingenfem 4. *Chronic.* 6 Capunt, ut sieri & cujus iussu fieri debeat, qui capi possunt, vid. Bottium *tit. de cap.* 3. Papon. 2. *not.* 7. *c. Ferme de procedere au criminal.* Clar. *l. fequent.* §. *ult. q.* 28. Nemo diligentius ea de re Peckio scripsit, quem vide passim *in tract. de jure sistendi.* 7 Hinc oritur questio, an fugientes reos homines liberos liceat officiali vulnerare: de qua vide late Grammaticum *decif.* 41. & de legis hujus usu *decif.* 18. 19. 20. Alciatum *Parerg. lib.* 2. *cap.* 45. Mod. 8 Qui alicujus corporaliter prehendendi jus tam cautum habuit, si diverfarium reluctantem ac pugnantem, in concertatione interfecerit, impune id fecerit. *ut hic. arg. l.* 29. §. *penult. in fin. ff. ad leg. Aquil. l. ult. ff. quando liceat unicuique fe fine judice.* Marsil. *l.* 1. *ff. de ficar. num.* 62. Id ita fervari refert Clarus §. *fent.* §. *ult. in princ.* addit tamen, apparitori judicis id non permitti, si reum poffit alio modo prehendere: Quin reum impune apparitori reluctare posse, diploma prehensionis permisse, aut officii sui infignia publica non ostentanti. Addit etiam ju. dici resisti posse, quoties ad instar privati procedit, *l.* 170. *ff. de reg. jur.* 9 Et qui fuerit nunciatus in *C. Theod.* 10 *Novell.* 123. *cap.* 31. 11 Exclamare in ecclesiis non licet, *l. ult. in pr. C. h. t.* addc *epigraphen tituli*, id enim ad earum venerationem pertinet. adde *qua Seffum in pefcis linguam.* adde Ambrosium 3. *de velandis virginibus.* Collectanea Benedicti Levitæ, 6. *c.* 173. & 193. Arrian. 4. Epictet. 3. 12 Cujacius legit *conventiculum. in l. Hac edictali, de Penatis* 2. *tit.* 52. 20. Conventicule coetus illiciti. Conventicula prohibentur. vid. *l.* 2. *ff. de colleg. & corp. l.* 15. §. 3. *de epifc. & cleric.* 13 V. Jul. *in l. unicum. n.* 6. *ff. fi certum.* Bocr. *decif.* 109. Guid. Pap. *queft.* 121. Alc. 3. *prafum.* 33. Corrd 5. *Miscell.* 23. 14 Etiam publici debitores. v. §. 4. *in fin. C. h. t.* 15 Possunt tamen citari in ecclesia & si citati non comparuerint per fe vel procuratorem saltem, procedetur contra eos ad primum & fecundum decretum. Vide Jasonem *in l. unum. num.* 6. *ff. fi cert. petat.* & ibi Decium. Boërium *decif.* 109. *cum feq.* Guid.Papæ *queft.* 121. Alciatum *de præfumpt. Reg.* 33. Corrd. *lib.* 5. *miscellan. cap.* 23. Mod. Confugæ sunt, qui ad ecclesias confugiunt. *l.* 22. §. 1. *ff. de Epifc. & Clericis.* 16 Videbatur enim æquum, locum dari clarigationi, & reprehibiti. 17 Nuda cogitatio, nudusque tractatus interdum punitur. vid. quæ not. ad *l.* 18. *ff. de pan.* quod in Gallia præcipe locum non habet, ut scripsi *ad l.* 5. §. *de epifc. & clerie.* 18 Ecclesiæ immunitatem violans, jure civili summo supplicio punitur, *ut hic.* Jure canonico, pœna arbitraria. *c. non mirum.* 4. *c. adverfus.* 7. *extr. de immunitate eccles.* 19 Victus verbo quid contineatur, vid. quæ not. *ad l.* 43. *ff. de verb. fign.* adde Michaelem Graffum, *l. fent.* §. *legatum. quæ* 22. ubi inter cætera de alimentis hoc tradit ex communi opinione, Pharmaca alimentorum vocabulo comprehendi: alimentorum legatarium non cogi ad habitandum cum herede: non teneri eidem oblequium domesticum præstare. 20 Hoc verbo tectum intelligunt. His enim tribus vita sustinetur, victu, vestitu, & tecto. 21 Quo commodius adus exerceri potest, eo melius. 22 Id est, citatus in civili judicio. Citari leu vocari in Ecclesia quis potest, at non extrahi aut rapi. Vis afylî hæc est, ut inde inviti non extrahantur. Sic invitus neme domo extrahitur. *l.* 21. *ff. de in jus.* Si quis tamen aditum ad se præ-

turbarit, aut ex publico conspectus fuerit, in jus vocari poterit. *l.* 19. *d. tit.* 23 In criminali fcus, *l.* 3. §. 4. *ff. de publ. jud.* 24 Vid. *l.* 26. *ff. de procurat.* 25 De hac folennitate, vid. *Inftit. de fatisd.* 26 Difficilis primo mobilibus, *l.* 15. §. 2. *ff. de re jud.* qui tamen ordo apud Gallos non fervatur, apud quos creditor ab immobilibus debitoris potest, ex flatuto Curiæ & edicto regis Francisci I. anno 1539. vid. Guid. Pap. *decif.* 218. nisi de re minoris viginti quinque annis agatur: adeo ut omissa illa distinctione, prædium minoris pluris licitanti folennibus programmatis propositis addictum, fenatusconsulto fit ablatum. Lucius 7. *Placit. 2. num.* 3. 27 Plura enim requirunt, vid. *l.* 68. *ff. de jud.* adde Cuiac. 20. *obf.* 11. 28 Olim, fiebat missio in universa bona: hodie, pro rata debiti. *Nov.* 53. *c.* 4. *in fin.* 29 Vid. tamen *Nov.* 17. *c.* 7. 8. 1. Edictum Justiniani 13. *c. ult.* §. 3. 30 Est enim iniquum alterius incommodo, & ignara quem locupletari. 31 Sola suspicio contredationis rei alienæ sufficiens esse potest, ut quis cogatur jurare. 32 De ista quæstione consultatio juratæ, justa de causa, cogi potest, *l.* 6. §. *de proc. l.* 3. §. *de reb. credit. l.* 21. *verf. fin autem dicat. J. de fid. inftrum. l.* 26. *in fin. J. de reb. l. ult. n.* 10. *J. de jur. delib. l. ult. in fin. J. de bon. auth. l.* 4. §. 3. *ff. de edend.* 33 Jurare fi perfonæ extraneæ eo principali quoad quem, fuggestionem, motum litem, vid. *l.* 3. *inf. h. t.* præcatio, relatio, fis mota. 34 Afyli jure non tantum privatus, sed & publicus debitor frui potest? (& ita jus illud ad cujuscunque conditionis homines pertinet, *in pr. ff. h. t.*) nec eorum nomine episcopi convenientur, §. *cod.* qua in re allegatur lex, 1. *C. Theod. eod.* in causa tamen tributorum aliud omnino est, nec fervatur jus afyli. Tenetur etiam œconomus ecclesiæ, si confugas non exhibuerit, *Nov.* 17. *c.* 7. §. 1. *& edicta Juftin.* 10. *c.* 1. *& edict.* 13. In criminalibus cautis non fervatur jus afyli. *d. Novell.* 17. *c.* 7. *in pr.* 37. *verf. Carthaginenfis* 117. *c. ult.* §. *Quia vero.* Imo ex altari extrahi possunt confugæ. *Concilium Nov. περὶ θεοσεβῶν μετὰ ἕξόδου.* Erant asyla apud Judæos, fed iis tantum prodesse, qui nolentes ac præter voluntatem languinem alicujus effuderant. *Exod.* 21. v. 13. *Num.* 35. v. 11. *Deuter.* 4. v. 41. & 19. v. 2. *Jof.* 20. v. 2. 3. *Reg.* 1. v. 2. 35 Familiaris, *l.* 20. *J. qui accusare*, 1. 25. §. 2. *ff. de adil. l.* 1. §. 18. *ff. de vi & vi armata*, id est, servus. Hi enim antiquitus familares: ut domini ipsi, patresfamilias, Seneca 6. *epist.* 47. Macrob. 1. *Saturn.* 11. 1. 2. fuscipit, Petron. Pith. *in notis Mofaic. c.* 9. de fuscepris alibi dixi. 36 Domesticæ personæ censentur servi, coloni, adscriptitii, familiares, liberti: qui domestici, vid. 1. 24. *ff. de teftibus. l.* 11. §. 1. *ff. de panis. l.* 3. *J. de teftib.* 37 Convasatis, Contius *in editione Parisiensi.* Afyli jure res infignes non fruuntur, & ita intelligo *c. reum.* 9. *caus.* 17. *quæft.* 4. Sane quoque interpretari oportet capitulum *inter alias. c. extr. de immun. eccl.* quo ex Ecclesia probetur extrahi quilibet reus, quamcumque gravis malefica perpetraverit. Paulo post enim Innocentius excipit publicos latrones, & nocturnos agrorum populatores. 38 Id est, fugitivus. *l.* 1. *J. de fugitivis.* 39 Vid. quæ not. ad *Novell.* 117. *c.* 14. 123. *c.* 36. §. 2. 40 Clerici inviti non jurare coguntur. 41 Restituendis. 42 Confugas expensis Ecclesiæ alendos hic locus ostendit. 43 Bona Ecclesiæ, bona pauperum, *l.* 2. *in pr. ff. de Epifcop. & Cler.* 44 Jus enim variatur pro ratione circumstantiarum. vid. *l.* 16. §. 1. *ff. de panis.* 45 Interpretatio Contii. 46 Vid. *l.* 5. *fupr. h. t.* 47 Interpretatio Contii. 48 Vid. *l.* 5. *fupr. h. t.*

TIT.

TIT. XIII.

DE [1] HIS QUI IN ECCLESIIS [2] MANU. MITTUNTUR.

Dominus coram antistite & plebe potest servum suum manumittere, scriptura interveniente. Salic.

1. Imp. CONSTANTINUS A. ad Protogenem Episcopum.

JAmdudum [3] placuit, ut in Ecclesia [4] Catholica libertatem domini suis famulis præstare possint, si sub aspectu plebis [5] adhibitis Christianorum Antistibus id faciant: ut [6] propter facti memoriam vice actorum interponatur qualiscunque scriptura, in qua ipsi vice testium signent: unde a vobis quoque ipsis non immerito dandæ & relinquendæ sunt libertates, quo quisque vestrum pacto voluerit, dummodo vestræ voluntatis evidens appareat testimonium. Dat. 6. Id. Jun. SABINO & RUFINO CONSS. 316.

Clericis permittitur inter vivos, & in ultima voluntate servos suos manumittere, & plenam libertatem consequuntur. Salic.

2. Idem A. Osio.

QUi [7] religiosa mente in Ecclesiæ gremio servis suis meritam concesserint libertatem, eandem eo [8] jure donasse videantur, quo civitas Romana solennitatibus decursis dari consuevit. Sed hoc duntaxat his, qui sub aspectu Antistitum dederint, placuit relaxari. Clericis autem amplius concedimus, ut cum suis [9] famulis tribuunt libertatem, non solum in conspectu Ecclesiæ ac religiosi populi plenum fructum libertatis concessisse dicantur, verumetiam cum postremo judicio dederint libertates, seu quibuslibet [10] verbis dari præceperint; ita ut ex die publicatæ voluntatis sine aliquo juris teste, vel interprete competat directa libertas. Dat. Kalend. [11] Maji, CRISPO C. II. & CONSTANTINO C. II. CONSS. 322.

TIT. XIV.

DE LEGIBUS [12], ET CONSTITUTIONIBUS [13] PRINCIPUM [14], ET EDICTIS.

De interpretatione inter æquitatem & jus.

1. Imp. CONSTANTINUS A. Basso, Præfecto Urbi.

INter [15] æquitatem, jusque [16] interpositam interpretationem nobis solis [17] & oportet & licet inspicere. Dat. 3. Non. Decemb. SABINO & RUFINO CONSS. 316.

De privilegiis.

2. Impp. THEOD. & VALENT. C. ad Senatum.

QUæ ex [18] relationibus [19] vel suggestionibus Judicantium, vel consultatione in commune florentissimorum sacri nostri palatii procerum auditorium introducto negotio statuimus, vel quibuslibet Corporibus, aut Legatis, aut Provinciæ, vel civitati, vel Curiæ donavimus: nec [20] generalia jura fint, fed leges [21] faciant his [22] duntaxat negotiis atque personis, pro quibus fuerint promulgata, nec ab aliquo retractentur [23]: notam infamiæ subituro eo, qui vel aftute [24] ea interpretari voluerit, vel impetrato impugnare rescripto, nec habituro fructum per surreptionem [25] eliciti, & Judice, si dissimulaverit, vel ulterius litigantem audierit, vel aliquid allegandum admiserit, & sub quodam ambiguitatis colore ad nos retulerit [26], triginta librarum auri condemnatione plectendo. Dat. 8. Id. Novemb. THEODOSIO A. II. & VALENTINIANO Cæsare CONSS. 425.

Species Constitutionum.

3. Iidem AA. ad Senatum.

LEges [27] ut [28] generales ab [29] omnibus æquabiliter in posterum observentur, quæ [30] vel missæ a nobis ad venerabilem cœtum [31] Oratione conduntur, vel [32] inserto *Edicti* [33] vocabulo nuncupantur: sive eas nobis spontaneus [34] motus ingesserit, sive [35] precatio, sive relatio, vel lis mota legis occasionem postulaverit. Nam satis est *Edicti* eas nuncupatione censeri vel per omnes populos judicum programmatibus divulgari: vel expressius continere, *Quod Principes censuerint ea, quæ in certis negotiis statuta sunt, similium quoque casuarum fata componere.* † Sed & si *Generalis lex* vocata est, vel *ad omnes* jussa est *pertinere*, vim obtineat Edicti: interlocutionibus, quas in uno negotio judicantes protulimus, vel postea proferemus, non in commune præjudicantibus: nec his, quæ specialiter quibusdam concessa sunt Civitatibus, vel Provinciis, vel Corporibus, ad generalitatis observantiam pertinentibus. Dat. 8. Id. Nov. *Ravennæ*, THEOD. A. XII. & VALENTINIANO A. II. CONSS. 426.

De Principe soluto legibus.

4. Iidem AA. ad Volusianum P. P.

DIgna [37] vox est majestate Regnantis, *legibus alligatum* [38] *se* Principem profiteri [39]. † Adeo de [40] auctoritate juris nostra pendet auctoritas. Et revera majus [41] Imperio est, submittere legibus Principatum. Et oraculo [42] præsentis edicti, quod nobis licere non patimur, [aliis [43]] indicamus [44]. Dat. 3. Id. Jun. *Ravennæ*, FLORENTIO & DIONYSIO CONSS. 429.

De eo, quod est contra legem, vel in fraudem legis.

5. Iidem AA. Florentio P. P.

NOn [45] dubium est, in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem [46]. Nec pœnas insertas legibus evitabit, qui se contra juris sententiam fæva [47] prærogativa verborum fraudulenter excusat. † Nullum [48] enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente. Quod ad omnes etiam legum interpretationes tam veteres, quam novellas trahi generaliter imperamus: ut legislatori quod fieri non vult, tantum prohibuisse [49] sufficiat: cætera [que] quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere: hoc est, ut ea, quæ lege fieri prohibentur [50], si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur: licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit *inutile esse debere quod factum est*: Sed & si quid fuerit subsecutum ex eo, vel ob id, quod interdicente lege factum est, illud quoque cassum [51] atque inane [52] esse præcipimus. §. 1. Secundum itaque prædictam regulam, qua ubicunque [non] servari factum [53] lege prohibente censuimus, certum est nec stipulationem hujusmodi tenere, nec mandatum ullius esse momenti, nec sacramentum [54] admitti. Dat. 7. Id. April. *Constantinop.* THEODOSIO A. XVII. & FESTO CONSS. 439.

1 De manumissionibus in Ecclesia, *C. Theod. lib.* 4. *tit.* 7. adde Ulpian. *tit.* 1. §. 8. *l.* 1. *in fin. l.* 2. *J. comm. de manumiff.* & Gajum 1. *Inft.* 1. §. 2. *Concilium Africanum* 1. Theoph. *Inftit. de libertinis* 1. Harm. 18. §. 9. Livium 2. Plutarchum *in Poplicola.* 2 4. *C. Th.* 7. Gajus 1. *Inftit.* 1. §. 2. 3 Hoc tamen genus manumissionis tribuitur Constantino patri Constantii 1. *hiftor. tripar.* 9. 7. Nicephor. 16. 4 Civitas Romana, nomini solennibus decursis conferebatur, vel in comitiis Romanis vel in templo Feroniæ Dex, in quo fervi capite raso, pileum libertatis insigne accipiebant. Servius ad Virgilium 8. *Æneidos.* Id autem valde molestum erat. 1. *Harm.* 18. 5 Et antiistis. *l. sanct. C. Theod. h. t.* manumissionis hoc genus conflat successisse in locum ejus, quæ per censum fiebat. adde *l.* 2. *h. t.* §. 1. *Inft. de libert.* adde Ulpian. 1. §. 8. 6 Sontius est, plena & justa libertas in Ecclesiis conferri potest, tefte populo & figurante episcopo. De servorum in Ecclesia manumissione, vid. Form. 1. *felect.* 4. *l.* 1. *C. Theod. h. t.* 8 Civitas Romana, quo jure olim certis solennitatibus decursis deferebatur, eodem hodie deferri potest in Ecclesia. 9 Clerici fervos habere possunt, nec enim prohibet quisquam licentiam. Abbas & alii *ad c. navit. de Jud.* Bildus *in l. nupta. ff. de fenat.* Felinus *in c.* 3. Mod. 40 Principis autoritas a jure dependet, ideoque fi quid Princeps fatuit, justa causa moveri præsumitur. vid. Alciat. 3. *præsumpt.* 8. 41 Non est Princeps supra leges, fed leges supra Principem. Plin. *in Panegyr. ad Trajan.* 42 Oraculum vocat sententiam hanc auro dignam & cedro. ut apud Plin. 18. *c.* 6. 43 An fuccessio quod & æquum est. 44 Honeste. Paternus tamen hoc fequentibus esse exemplo & præcepto. Vice verfa, jus regium cujus fit mentio 1. *Samuel.* 8. *verf.* 11. bonis regibus, tatori fint boni. Greg. 1. *reg.* 10. *expofit.* 4. 45 Hæc lex stampta est & interpolata ex Novella Theodosii, *ne cafus prohibitos alterius conducat, aut fidemjus constituta exifiat, in princ. adde cap.* 88. *de regul. jur. in* 6. 46 Pars legis præcipua ejus voluntas: *D. de verb. fign. διάνοια.* 47 Ἀπάτη, *legibus alligatum* 38 *se* Princi- *D. de legib.* 3. *num.* 10. *J. de lib. & pofthum. J. ad l.* 1. *Rhod. de jact.* pem profiteri 39. † Adeo de [40] auctoritate juris nostra pendet *manumiss. non licet.* 2. *col.* & *in* § *præterea. Inft. quibus mod. jus patr. potest. folvitur.* item auctoritas. Et revera majus [41] Imperio est, submittere legibus Princi- *nom.* 28. *de fumm. trinit. ad Auth. Sacramenta puberum. col.* 8. *in princ. verf. quarto dicunt.* patum. Et oraculo [42] præsentis edicti, quod nobis licere non patimur, *ff. adverf. vend.* Alexandr. *in Authen. Ex cafu col.* 2. *de lib. prater.* Socinum jun. *cons.* 47. [aliis [43]] indicamus [44]. Dat. 3. Id. Jun. *Ravennæ*, FLORENTIO *n.* 6. *volum.* 3. Mod. 47 Ῥητὸν scriptum *d. l.* 30. verbo *d. l.* 29. *d. l.* 6. fieva verbo- & DIONYSIO CONSS, 429. rum prærogativa. 48 Pacisci, convenire aut contrahere legi prohibenti non posse, omnes *Gothof.* Fatuum contra legem prohibitorium ipso jure nullum est. *h. l.* Aliud tamen in matrimonio nisi adjectum sit decretum irritans. Dec. *in cap.* 2. *extr. de testib. num.* 2. Zanch. *de matrimon. lib.* 3. *disput.* 32. Si tamen lex aliam specialem poenam addit aut imponit, non inducetur nullitas. *l. fanctio. ad. ff. de panis.* Anf. 49 Is speciem fieri tuit. Frans fit legi, ubi id fit, quod lex non vetuit: nolluit tamen *d. l.* 20. Frans fit a re *dum. inter vir. & uxor. l.* 26. *in fin. Inft. de ufucap.* 50 Prohibita fi fiant, inutilia & pro infectis habenda, *l.* 102. *ff. de reg. jur.* ad alium. *l.* 3. §. 3. *in fin. l.* 7. §. 3. *D. de SC. Macedon.* a persona ad aliam, *l.* 20. *J. de verb. obl.* 51 Cassum & inutile est ipso jure, quod fit lege interdictum. 52 Minus quam perfecta lex est, quæ id, quod vetat, non rescindit: ut quondam lex Cincia. Ulpian. *tit. I.* Hodie quælibet lex est perfecta, ut *hic. vid.* Cujac. 19. *obf.* 30. adde *c. quæ contra jus.* 65. *de regul. juris in* 6. adde *Nov.* 14. *c.* 1. *in fin. nisi de lenocinio.* 53 Ratum, *ratificare* ἐξ ἀκολούθου *Synopf. Basil.* 9. *tit.* 5. *c.* 11. *ex l.* 6. *tit.* 3. mandare & jurare lese prohibente, non posse, non posfimus. 54 *l.* 7. §. 16. *ff. de pactis.* Jure *l.* 3. *de minoribus. l. ult. J. de crimine sacrilegii, l.* 1. *J. de petit. bon. subd. l. ult. J. de edendo.* Canonico mulier jurejurando renuncians exceptioni dotis alienatæ non auditur, *c. cum contingat.* 28. *extr. de jurejur. in* 6.